

dicio, tunc sculpturæ seu litteræ antiquæ marmoribus incisæ, solum probant semiplene, non autem plene; nisi aliis quoque adminiculis adjuventur, aut ab antiquo eisdem fuerit fides adhibita. Ita Abbas cit. c. *Cum causam*. n. 4. de *Probat.*; Mascardus d. concl. 103. n. 6; Cravetta cit. tract. de *Antiquat. temp.* § *Viso de verbis*, n. 4, allegans alios. Idque partim desumitur ex d. c. *Cum causam*. 13. de *Probat.* Partim suadet ex eo, quia ejusmodi sculpturæ antiquæ, sunt solum scripturæ privatæ; atqui hæc in antiquis tantum semiplene probant, nisi aliis adminiculis adjuventur, aut ab antiquo eis fides adhiberi consueverit. Accedit, quod causæ civiles arduæ, seu magni præjudicii æquiparentur causis criminalibus, prout dictum est supra tit. XX. de *Testibus*. § 3. n. 81. Atqui in causis criminalibus requiruntur probationes apertissimæ, l. *Sciant cuncti*. c. de *Probat.* seu testes absque ulla infamia, vel suspicione, cap. de *Exception.*; ergo.

228. *Quænam adminicula, indicia et præsumptiones tunc sufficiant ad plenam probationem, judicis arbitrio relinquuntur.* — Porro, quænam indicia, præsumptiones et adminicula sufficiant ad faciendam per antiquas scripturas, sive sculpturas plenam probationem, judicis arbitrio standum est, prout recte observat Menochius de *Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 115, n. 9; et Mascardus de *Probat.* concl. 1230, n. 5 et 7. et concordant dicta superius tit. XIX. de *Probationibus*. § 3, n. 60. ubi generaliter asseritur quod. quænam probatio hic et nunc sit plena, et concludens, judicis arbitrio relinquatur.

§ VIII.

DE PRODUCTIONE, ATQUE EDITIONE INSTRUMENTORUM.

229. *Productio instrumentorum, quid? Et quando fieri possit?* — Quæritur I. Quid sit productio, atque editio instrumentorum? Resp. I. «Productio instrumentorum» idem est ac exhibitio instrumentorum in judicio facta ad probandam suam intentionem. Atque hæc regulariter debet fieri primum post litem contestatam: potest autem fieri usque ad conclusionem in causa, etiam post publicationem attestationum, c. *Cum dilectus* 9, h. t. Verum de his jam dictum est supra tit. XIX. de *probationibus*. § 6. quærendo de tempore quo faciendæ sunt probationes:

præsertim n. 142. et seqq. et n. 149. 152. ac seqq. ubi etiam nonnullas limitationes, quæ quoad utramque partem reperiuntur, videre licet.

230. *Quid agendum, si instrumentum arguatur falsitatis?* — Quod si vero instrumentum aliquod, puta privilegium, a parte adversa redarguatur falsitatis; tunc illud pro inspectione faciat judex exhiberi parti adversæ in loco securo, atque congruo, et coram testibus paucis, seu duodecim hominum numerum non excedentibus. Ita habetur c. *Accipimus*. 4. h. t. juncto c. *Inter dilectos*. 6. § *Sed contra*. eod. ubi ex tali inspectione plures defectus in instrumento leguntur reperi.

231. *Testamenta, a quo, quibusque presentibus sint aperienda?* — Porro, quemadmodum testamenta aperiuntur, inspiciantur et describantur, extat integer titulus lib. VIII. ff. *Quemadmodum testamenta aperiuntur*. Solum breviter dicendum, quod apertio tabularum testamenti non quovis modo sit faciendæ, sed per legitimum judicem, ut fides earum confirmetur, si forsitan nonnulli contra legitimos hæredes controversiam imposterum essent moturi. Competens autem judex ille est magistratus, qui tabulas aperiat secundum consuetudinem loci, citatis illis quorum interesse potest, necnon et testibus, ut sua sigilla recognoscant. Si tamen testes abfuerint, non coguntur comparere; sed orto dubio, mitti debent ad ipsos tabulæ testamenti, ut recognoscant, l. *Sed si quis*. ff. *Quemadmodum testament. aper.* Sufficit autem ad aperturam testamenti, si major pars testium signatorum adfuerit l. *Sed si major*. ff. eod. Quinimo etiam nullo eorum præsentibus, si urgeat necessitas, intervenientibus aliis optimæ opinionis viris poterit testamentum aperiri, et recitari, cit. l. *Sed si quis*. atque amplius declarat Zoesius eod. tit. *Quemadmodum testament. aper.* ff. n. 2. et seqq. Verum de testamentis alibi.

232. *Editio instrumentorum, quid? Edere, quid?* — Resp. II. «Editio instrumentorum» aliud non est quam exhibitio, seu communicatio instrumentorum, facta coram judice parti adversæ. Ita Ant. Nebrissensis in *Vocabulario juris*. v. *Editio instrumentorum*, citans Hostiensem in *Summar.* h. t. § *An instrumentum*, etc. estque in re communis. Nam, ut l. I. § 1. ff. de *Edendo*, dicitur: «Edere, est copiam describendi facere.» Sive «Edere est vel dictare, vel tradere libellum vel co-

dicem proferre;» ut loquitur textus in l. *Si quis ex agentariis*. § *Si initium*. ff. eod. Generatim enim loquendo, et quantum ad propositum, «Edere, idem est, ac extra dare.» Quapropter et partus edi dicitur, cum nascitur, l. *Aretusa*. ff. de *Statu homin.* Et rationes eduntur, cum exhibentur, atque copia describendi fit, l. *Si quis*. § *Edere*. ff. de *Edendo*. Nebrissensis loc. cit. v. *Edere*.

233. *Rubrica, de Edendo, cur in jure civili sic inscribatur?* — Extat autem in jure civili integer titulus, tum in codice, tum digestis contentus, sub rubrica «de Edendo.» Et dicitur, «de Edendo,» per gerundium, non autem per ablativum «de Editione,» ad instar tituli, de *Pactis*: sive, ut ostendatur, quamdam necessitatem imponi edendi (hoc est exhibendi instrumenta, vel rationes, aut demonstrandi actionem, qua quis acturus est) ut vult Glossa ad rubric. ff. de *Edendo*: sive quia jurisconsultus intendit ibi tractare de editione, prout est in fieri; et sic posuit per gerundium, quod significat actum; uti notat Glossa marginalis et Bartolus ibid. Tractat autem jus civile de triplici editione, nempe actionum, instrumentorum, et rationum: sed quia spectato jure canonico non est necesse, edere nomen actionis, quam quis intentare cogitat, c. *Dilecti*. 6. de *Judiciis*, estque jam dictum supra tit. III. de *libelli oblatione*. § 1. n. 20 et 21. Hinc in progressu de sola editione instrumentorum sermo erit: quamquam ea quæ de instrumentis dicuntur, servata proportione facile, editioni rationum accommodari possint. Unde:

234. *Instrumenta, quibus aliquis in judicio est usus, sunt edenda.* — Quæritur II. An, et quomodo instrumenta, quibus aliquis in judicio est usus, sint edenda? Resp. I. Certum est, si pars litigans, sive actor agendo, sive reus excipiendo, se suamque causam fundet super aliquo privilegio, vel instrumento, ac proinde eodem in judicio usus sit, quod tentatur illud in judicio edere, seu judici inspiciendum præbere; et quidem in originali, ac citata parte adversa. Patet istud ex c. *Contingit*. 5. h. t. et l. ult. c. de *Edendo*. et l. I. § fin. ff. eod. estque communis.

235. *Et quidem in originali.* — Additur notanter, «et quidem in originali.» Nam exemplaribus non credetur, juxta textum cap. 1. h. t. ibi: «Si scripturam authenticam non videmus, quod exemplaria nihil facere possumus.» Quod intellige, nisi exemplaria fuissent exemplata auctoritate judicis, ac

servatis cæteris conditionibus de jure ad id requisitis, juxta dictum superius § 2. n. 59. et seqq.

236. *Originale tamen non tenetur quis relinquere apud acta.* — Notat tamen Abbas in cit. c. *Contingit*. n. 2. h. t. quod utens privilegio, vel instrumento in judicio, non teneatur originale judicio relinquere apud acta; ne eodem imposterum carere cogatur, aut ipsumentis amittatur: sed satis sit præsentare in judicio, præsentate parte, ad fidem ei faciendam, et copiam illius capituli, de quo est quæstio, transcriptam tradere.

237. *Instrumenta regulariter debent edi citata, et præsentate parte adversa. Subinde tamen non requiritur citatio partis adversæ.* — Deinde, quamvis regulariter instrumenta debeant edi citata parte adversa, eaque præsentate legi, *Contingit*. 5. h. t. sicut et testes ea citata, et si voluerit, præsentate producendi sunt, cap. II. de *Testib.* Recte tamen Vallensis h. t., § 3, n. 4, cum aliis advertit, subinde non requiri citationem partis adversæ; veluti, quando instrumentum producit ad solam instructionem judicis, et in aliis hujusmodi casibus: prout in simili de productione testium jam dictum est supra tit. 20. de *Testibus*. § 13. n. 418. 422. et seqq.

238. *Instrumentum quo quis usus est in judicio, totum debet legi audiente judice, et parte adversa; si tamen super unico tantum capitulo moveatur quæstio, sufficit istud edere, seu parti ad describendum dare.* — Resp. III. Instrumentum, vel privilegium, quo quis usus est in judicio, totum quidem præsentate judice, et audiente parte adversa legi, seu integraliter recitari debet: si tamen super uno tantum capitulo quæstio mota fuerit, non cogitur quis parti adversæ edere, seu describendum dare totum instrumentum, sed solummodo illud capitulum, de quo agitur. Ita communis: et habetur expresse decisum c. *Contingit*. 5. h. t. ubi pontifex desuper consultus, ita loquitur: «Respondemus, ut quodcumque super exhibendo privilegio, vel indulgentia, seu instrumento fueritis requisiti, præsentate judice, aut aliquibus prudentibus viris deputatis ab ipso, audiente parte contraria tantummodo recitetur: ita quod si super uno tantum capitulo quæstio, fuerit, illud solummodo rescribatur, et adversæ parti copia ejus fiat.» Hæc ibi: *Concordat* c. *Cum personas*. § *Nos volentes de Privileg.* 6.

239. *Ratio prioris partis, quæ? — Id*

ipsum suadet ratio, et naturalis æquitas. Nam ex una parte, quia nonnunquam præcedentia vel subsequenta solent arctare, vel declarare articulum, de quo controversitur: hinc ut iudex merita causæ, valoremque et vim instrumenti plene intelligat, totum instrumentum eidem exhibendum est; atque, ut pars etiam adversa sufficientem ejus notitiam habere queat, integraliter erit prælegendum. Nam, ut in simili l. *In civile. ff. de Legib.* dicitur: « Incivile est, nisi tota lege perspecta, unica aliqua particula ejus proposita judicare, vel respondere. »

240. *Ratio posterioris partis quæ?* — Ex altera vero parte, ne litigia nova suscitarentur, si totum instrumentum, sive copia ejus, parti adversæ ederetur: hinc provide decretum fuit, ut totum quidem instrumentum prælegeretur parti adversæ ad habendam sufficientem totius instrumenti notitiam; non tamen totum eidem ederetur, sed duntaxat pars illa, sive capitulum, super quo quæstio movetur. Quia non tam facile ex simplici lectura oritur nova materia litigandi, sicut ex integro transumpto instrumenti: si enim istud continuo remaneret penes adversarium, diebus ac noctibus per ejus advocatos legeretur, discenteretur, et quoad alia capitula impugnari tentaretur, plurimis exinde novis litibus fulcitur. Et ita teste experientia olim factum esse refertur cit. c. *Contingit.* 5. h. t. unde Pontifex eo intellecto, atque ad præcludendum viam plurimis litigiis cæteroquin suscitandis, decrevit, ut supra.

241. *Instrumentorum editiones debent fieri sine die: secus in editione rationum.* — Atque hæc ratio tam fortis est, ut jure civili caveatur quod ejusmodi instrumentorum editiones « sine die, et consule, fieri debent: ne quid fraudis excogitetur edito die, et consule; » prout loquitur textus l. I. § *Editiones. ff. de Edendo.* Quamquam illico ibidem istud limitetur in libris rationum, illis verbis: « Rationes tamen cum die et consule edi debent: quoniam accepta et data non aliter possunt apparere, nisi dies et consul fuerit editus. » Atque ex his patet disparitas inter libros rationum, et alia instrumenta.

242. *Reus instrumenta, quibus non est usus, regulariter non tenetur edere actori ad fundandam hujus intentionem; et cur?* — Quæritur III. An reus sua instrumenta, quibus in judicio non est usus, teneatur edere actori ad fundandam ejus intentionem? Resp. Regulariter non teneri edere; prout clare habetur

cap. I. *de Probat.* et l. *Qui accusare. c. de Edendo.* Ratio est, quia qui cogitat agere in judicio, debet ipsemet paratus venire, atque probationes seu instrumenta, quibus suam intentionem fundare intendit, in promptu habere, l. *Pure. § fin. ff. de Doli mali exception.* juncto *Summario*, et doctoribus ibid. Neque enim juris, aut æquitatis ratio permittit ut quis invitatus arma quibus impugnetur, adversario suo tradere, eumque contra se adjuvare cogatur, l. *Nimis grave. c. de Testibus.* Accedit quod actore non probante, reus sit absolvendus, c. *Cum Ecclesia. § fin. de Causa possess.* ibi: « Actore non probante, qui convenitur, et si nihil præstiterit, obtinebit, » cum concordantiis.

243. *Quamvis teneatur respondere ad positiones actoris: et quæ disparitas?* — Nec obstat quod actor faciendo positiones (ad quas reus respondere tenetur, nisi velit pro confesso haberi, cap. ult. *de Confessis.* in-6.) per responsionem, et confessionem rei, possit fundare suam intentionem; et sic quodammodo arma de domo adversarii petere. Resp. enim cum Jo. Andrea cap. I. n. 2. *de Confessis*, in 6. et Abbas cap. *Ex epistole* n. 17. *de Probat.* negando paritatem inter instrumenta, et confessionem rei: nam respectu confessionis alterius partis non potest actor venire paratus, cum non sit in sua potestate, quid reus fateatur. Secus dicendum respectu instrumenti, cum potuerit a principio actor sibi præcavere; et si hoc non fecit, sibi imputet: nam jura vigilantibus subveniunt, non negligentibus.

244. *Actor tamen tenetur edere reo instrumenta ad fundandam hujus exceptionem; et cur? Reus excipiendo fit actor, et quomodo?* — Neque ulterius obstat, quod actor teneatur reo edere instrumenta ad fundandam, sive probandam suam exceptionem, text. clar. l. *Non est novum.* et l. ult. *c. de Edendo;* cum tamen reus excipiendo fiat actor, l. 1. *ff. de Exception.* Resp. enim disparitatem esse, quia licet reus excipiendo fiat actor, tamen ipse est actor necessarius, et quasi invitatus; cum non sit in ejus potestate an et quando conveniatur. Secus dicendum de actore: nam in potestate actoris est an et quando convenire velit reum; seque aut præmunire sufficientibus probationibus, aut actionem non inchoare. Et hinc non immerito, « Favorabiliores rei potius, quam actores habentur, » juxta textum vulgatum in l. *Favorabiliores. ff. de Reg. jur.* cum similibus.

245. *Instrumenta communia tenetur reus edere actori petenti, et si iudex ea non faciat edi, licite appellatur; quod commune est, meum est.* — Quæritur IV. An reus instrumenta communia teneatur actori edere; et quæ censeantur communia? Resp. I. Si instrumenta non sunt propria ipsius rei, sed communia, tenetur ea reus edere actori petenti: et si iudex parti petenti non faciat edi instrumenta communia, licite ab ipso appellatur; quidquid post appellationem attentatum fuerit, non valet. Ita textus expressus in c. *G. perpetuus.* 12. h. t. ubi Glossa vers. *Communium.* Abbas in *Summario.* Barbosa n. 1. et reliqui canonistæ. Accedit ratio, quia instrumenta communia, sunt quodammodo propria utrique parti: nam quod commune est, meum est, l. *Servi electione.* juncta Glossa vers. *Communis. ff. de Legat. I.* saltem quantum ad dispositionem meæ partis, ut explicat Bartolus in *Summario* ibid. Ergo talia communia instrumenta a qualibet parte juste petuntur; et si iudex eadem parti petenti negaverit, ipsam gravat injuste, sicque locus est appellationi.

246 et 247. *Instrumenta pluribus modis dicuntur communia: videlicet, ratione proprietatis, ratione materiæ; quæ etiam debent edi.* — Resp. II. Instrumenta pluribus modis dicuntur communia; videlicet, ratione proprietatis, ratione materiæ, et ex natura negotii. Ita Abbas cap. I, n. 6. et 7. *de Probation.* Engel h. t. n. 38. et alii. « Instrumenta communia ratione proprietatis » censentur ea quæ communibus sumptibus confecta sunt, aut utrique parti legata, donata, vel alio consimili modo acquisita; sicque utrique parti quoad proprietatem communia existunt.

« Instrumenta communia ratione materiæ » censentur, quæ sunt communia ob materiam, quam continent: uti sunt testamenta inter hæredes et legatarios. Item instrumenta, seu rationes tutorum, curatorum, procuratorum, utpote quæ fiunt pro cautione plurium, sicque edi debent, l. *Quædam. § 1. ff. de Edendo.* Item instrumenta inter ipsos contrahentes super contractibus confecta: nam hæc, si sint in originali, ac penes partem adversam, debent edi, cit. c. *P. perpetuus.* h. t. Secus, si sunt exemplata sumptibus solius partis alterius: nam tunc ratione proprietatis sunt propria ipsius, ac proinde regulariter edi non tenentur.

248. *Solvitur instantia ex cap. I, h. t.* —

Nec obstat quod Papa c. n. I. *de Probation.* negaverit, quod impera teneatur ad editionem quorundam factorum, olim inter Justinianum et prædecessores Tancredi regis emissorum, quæ tamen pacta videntur fuisse communia utrique parti, ratione materiæ. Resp. enim cum Glossa, et doctoribus ibid. dictum factorum instrumentum fuisse proprium Imperatoris: quia enim fuerat exemplatum, et in chartophylacium repositum sumptibus Justiniani, factum est proprium ipsius, sive suum jure proprietatis, ita ut commune alteri amplius censi non debuerit: non obstante, quod alterius quoque utilitatem respiceret, quia is sua culpa illud suum quoque facere neglexit. Wagnerek ad cit. cap. I. *de Probat.* Pirhing eod. n. 24.

249. *Instrumenta communia ex natura negotii; quæ?* — « Instrumenta communia ex natura negotii » dicuntur, quæ sunt gesta ab exercente aliquod officium publicum, et tenente librum, in quo scribebat omnia negotia officii: et talia debent edi. Sic iudex omnia acta judicii cuilibet interesse habenti debet exhibere ad investigandam veritatis fidem, c. *Quoniam contra.* 11. *de Probation.* et l. 2. *c. de Edendo.* Similiter notarius publicus debet exhibere partibus contrahentibus protocollum; etsi notarius requisitus nolit exhibere protocollum, instante alterutra parte, mandatis pœnalibus ad id compelli potest, l. *Argentarius. ff. de Edendo.* et Jason ibid. n. 1. et Gailus lib. I. *Practica.* observat. 106. n. 6. Insuper libri mercatorum, in quos ipsi, veluti ex publico et ratione sui officii, data et accepta referre solent, sunt edendi petentibus, ut v. g. videre possint quanti valuerit pannus ad vestem Titio conficiendam apud talem mercatorem emptus, l. *Quædam. § Nummularios.* et l. seqq. *de Edendo.*

250. *Regula illa, Reus non tenetur actori sua propria instrumenta edere, plures patitur limitationes.* — Quæritur V. Utrum, et in quibus casibus regula illa, « Reus non tenetur actori sua propria instrumenta edere, » quasdam patiatur limitationes? Resp. Regulam hanc plures pati limitationes: et quidem præter instrumenta communia, de quibus jam dictum.

251. *Reus tenetur edere sua instrumenta fisci, agenti contra illum.* — Fallit primo data regula respectu fisci. Nam reus cogitur edere sua instrumenta fisco agenti contra illum, ad fundandam etiam fisci intentionem: idque ex speciali privilegio concessum fuit fisco, l. II.

ff. *de Jure fisci*. Dummodo hinc excipiantur causæ criminales, præsertim capitales, ut bene ibidem subjungitur.

252. *Privilegium istud extenditur ad ecclesias, hospitalia, aliaque loca pia: item ad causam matrimonialem, causam dotium, alimentorum, legatorum priorum, etc.* — Et hoc fisco concessum extenditur etiam ad ecclesias, hospitalia, atque alia loca pia: quia fiscus, et Ecclesia, in materia favorabili æquiparantur, cum utrobique versetur publica utilitas. Idem quoque communiter a doctoribus extenditur ad causam matrimonialem, utpote ubi multa sunt specialia, cum in ea vertatur periculum animarum. Id ipsum admittunt doctores in causa dotium, alimentorum, legatorum priorum, et in aliis causis favorabilibus; saltem ubi non adest alia copia probandi, nisi per instrumenta a reo exhibita. Speculator tit. *de Instrumentorum editione*. § *Videndum restat*. n. 17. asserens quod magna causa debeat judicem movere ad cogendum aliquem instrumenta sua adversario exhibere, arg. 1. *In hac actione. Interdum æquitas*. ff. *Ad exhibendum*, cum similibus: ubi Joan. Andreas in *Additione*. vers. « Satis est, » istud exemplificat in causa matrimoniali: « Si enim (inquit) favore fisci cogatur quis edere instrumenta, fortius hoc fieri debet favore matrimonii, in quo multa sunt favorabilia, et subest periculum animarum. » Concordat Abbas cap. 1. n. 19. et 20 *de Probatione*. præmissa intelligens, quando non adest alia copia probandi: alioquin enim non subesset bona causa violandi regulas juris. Felinus eod. cap. 1. n. 10, et seqq. *de Probat.*; Pirhing *de Probat.* n. 26. et alii.

253. *Usurarii, quando conveniuntur ad restituendas usuras, coguntur edere libros rationum suarum.* — Deinde usurarii, quando conveniuntur ad restituendas usuras, coguntur edere instrumenta, libros rationum suarum, et quidem sub censuris ecclesiasticis, Clem. un. § *Cæterum. de Usuris*. Idque merito statutum fuit, tum in odium usurariæ pravitatis: tum ut hac ratione feneratorum convinci possint de usuraria pravitate sua; prout loquitur textus ibidem.

254. *Quando actor habet intentionem suam in jure fundatam, tenetur reus conventus edere privilegium in oppositum.* — Fallit ulterius dicta regula, quando actor habet intentionem suam in jure fundatam: quia tunc tenetur reus conventus edere instrumentum, vel privilegium in oppositum. Sic quando ordinarii

locorum citant personas quæ se dicunt ab eorum jurisdictione exemptas, tenentur hæc exhibere suum privilegium, c. *Cum personas, de Privileg.* in 6. et 1. *Si quis ex aliena*. ff. *de Judiciis*.

255. *Idemque dicendum, quando actor petit instrumentum ad intentionem suam jam fundatam coadjuvandam: idque exemplificatur.* — Insuper ea fallit, quando actor petit instrumentum ad intentionem suam jam fundatam coadjuvandam: quia tunc tenetur id reus edere. Sic quando actor fundavit intentionem suam, seu plene probavit agrum talem a reo sibi fuisse venditum, nunc vero remanet quæstio, quantum ager ille extendatur, tenetur reus ad hoc ostendendum edere sua instrumenta: quia non petuntur principaliter ad impugnandum reum, sed solum ad coadjuvandam intentionem actoris jam fundatam. Abbas loc. cit. n. 15, post Bartolum l. 1. c. *de Edendo*; Pirhing, ubi supra, n. 25, citans Baldum in l. ult. c. *de Edendo*. qui istud exemplificat in colono censuali, vel vassallo: talis enim tenetur edere sua instrumenta ad dignoscendum modum suæ obligationis, et qui sint limites fundi censualis, seu feudalis. Tacentur nonnullæ aliæ fallentiæ, apud memoratos auctores videndæ; nam præmissæ sunt principales. (ADNOTATIO VII.)

§ IX.

DE IMPUGNATIONE INSTRUMENTORUM, PRÆSERTIM OB DEFECTUM NOTARII.

256. *Instrumenta generatim possunt impugnari juxta omnia quatuor causarum genera.* — Quæritur I. Quibus modis generatim instrumenta impugnari, et reprobari possint? Resp. I. Instrumenta, generatim loquendo, possunt impugnari juxta omnia quatuor causarum genera. Ex parte quidem causæ efficientis, quando est factum ab eo, qui non erat habilis: ut puta, quia non erat notarius publicus, vel fuerat excommunicatus, etc. Ex parte causæ materialis, opponendo videlicet quod sit factum super re illicita, vel a jure non permissa. Ex parte causæ formalis, quando non sunt observatæ solemnitates a jure requisitæ: v. g. si fuerit ommissa indictio, annus, testes, subscriptio, vel quid aliud ad ejus substantiam requisitum, de quibus supra § 1. n. 17. et seqq. Ex parte causæ finalis, si opinatur instrumentum, vel privilegium esse ob, vel subreptitæ obtentum, narrando falsa,

vel tacendo vera de jure exprimenda; de quorum postremo jam ex professo dictum est lib. I. tit. III. *de Rescriptis*. § 7. et seqq. ubi etiam plura habentur « de erroribus et rasura rescriptorum, » quæ servata proportionem huc applicari poterunt.

257. *Impugnaturus instrumentum, ante omnia diligenter, perlegat totum ejus tenorem.* — Resp. II. Impugnaturus quodpiam instrumentum, vel quancumque scripturam, ante omnia diligenter videat, et perlegat totum ejus tenorem: alias enim nec redargui possunt, nec valet resciri quid redargui in eisdem debeat. Textus est in c. *Accepimus*. 4. h. t. ibi: « Cum privilegia non inspecta non valeant argui falsitatis: » junctis concordantiis per Glossam ibid. vers. « Non valeant, » allegatis.

258. *Beneque perpendat, quis, v. g. contraxit, etc., rite ponderando omnes circumstantias.* — Resp. III. Perlegens instrumentum, bene perpendat, quis v. g. contraxerit, vel stipulatus sit; quid, et cui, et quantum, et an sit talis, qui hoc potuerit; atque omnes alias hujusmodi conditiones, seu circumstantias rite ponderet; Speculator tit. *de Instrumentorum editione* § *Instrumentum ergo publicum*. n. 1. et alii. De quibus tamen, cum in propriis locis agi consueverit, atque hactenus plura jam dicta fuerint, eisdem pro nunc suppositis, specialiores quædam quæstiones circa causam efficientem instrumentorum, seu circa personam notarii, impræsentiarum occurrunt resolvendæ. Unde:

259. *Instrumentum a notario confectum an valeat extra territorium ejus, a quo constitutus fuit?* — Quæritur II. Utrum instrumentum publicum confectum a notario valeat extra territorium ejus, a quo constitutus fuit? Ubi præsupponendum conformiter dictis, § 1. n. 27. quod inter alia ad validitatem publici instrumenti requiratur ut notarius illud conficiens, legitime sit creatus; id est, ab habente potestatem constitutus fuerit publicus notarius.

260. *Notarius conficiens instrumentum publicum debet legitime esse creatus.* — Porro hujusmodi potestatem creandi publicos notarios, cumprimis habet Papa, imperator, rex, et alius princeps superiorem non recognoscens, sicut et civitates exercentes jura principis. Abbas c. *Cum P.* n. 7 et 8. h. t. asserens, de hoc non esse dubium. Speculator tit. *de Instrumentorum editione*. § *Restat videre*. n. 22. id probans ex cit. c. *Cum P.* h. t.

et c. *Per venerabilem*. « Qui filii sint legitim. » Deinde dicta potestas competit illis, quibus a supremo principe concessum est speciale privilegium creandi notarios: vel qui per immemorabilem consuetudinem tale jus legitime præscripserunt, arg. l. ult. c. *de Emancipat.* et c. *Cum dilectus*. 9. h. t. et c. *Accedentibus*. 12. § fin. *de Excessib. prælat.* ac notat Speculator, et Abbas ubi supra; Pirhing h. t. n. 8, citans alios. Quin etiam episcopi possunt creare notarios pro sua diocesi. Card. Tuschus litt. E. concl. 290. n. 1, post Oldradum, consil. 75. et litt. N. consil. 70, n. 5. et 6. Abbas c. *Cum P.* n. 8. h. t.; Belletus *Disquisit. cleric.* p. 1. tit. 1. § 29, n. 10. et alii ab is citati. (ADNOTATIO VIII.) Quo prænotato:

261. *Instrumentum publicum confectum a notario intra territorium constituentis, valet etiam extra territorium ejus.* — Resp. I. Instrumentum publicum confectum a notario intra territorium constituentis, valet, facitque fidem etiam extra territorium ejus; adeoque ex hoc capite non recte impugnatur. Ita Abbas cit. c. *Cum P.* n. 9, h. t. et Felinus ibid. n. 16. citans Rotam in *Formis*, decis. 291. incip. *Instrumenta confecta*, et plurimos alios. Ac sequitur Pirhing eod. n. 10 citans alios. Ratio est, quia circa valorem instrumenti inspicitur locus ubi instrumentum scriptum est, arg. 1. l. c. *de Emancipat.* ac notat Abbas loc. cit. istud amplians, etiamsi notarius intra territorium constituentis, fecisset instrumentum rogatus ab extraneis: quia tale instrumentum jam acceperat fidem publicam in loco constituentis talem notarium, et quidem a jure communi: atqui vis probandi semel acquisita, non tollitur mutatione loci; ergo. Concordat dicta superius § 5. n. 153. et 154. ubi pluribus ostenditur quod instrumentum factum secundum consuetudinem loci, probet ubique etiam quoad extraneos.

262. *Notarius a Papa, vel imperatore creatus, quæ instrumenta spectato jure communi conficere possit?* — Resp. II. Spectato jure communi notarius creatus a Papa potest quidem instrumenta conficere in terris Ecclesiæ subjectis, ac etiam alibi quoad causas ecclesiasticas, non tamen in terris imperii, respectu causarum profanarum: sicut et notarius creatus ab imperatore nequit extra terras imperii, vel super causis ecclesiasticis instrumenta conficere. Ita Abbas cit. c. *Cum P.* n. 9. et Felinus ibid. n. 17. h. t. Joan.